Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31717
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ut cunctique reges, sacerdotes, priuati et optimates, suum quique ordinem. At illis dece-
dentibus cum successisset etas tempestatis illius nescia et presentis solum serenitatis statum
experta, ita cuncta ueritatis ac iustitie moderamina concussa ac subuersa sunt, ut ea-
rum non dicam uestigium, sed ne memoria quidem preter in paucis et ualde paucis ulla ap-
pareret. Qui inter alia inenarrabilium scelerum facta que hystoricus eorum Gyldus fle-
describit et hoc bili sermone addebant, ut numquam genti Saxonum siue Anglorum secum Brittanniam
incolenti uerbum fidei predicando committerent. Sed non tamen diuina pietas plebem suam
quam presciuit deseruit, quin multo digniores genti memorate precones ueritatis
per quos crederent destinauit. XXIII. Siquidem anno ab incarna-
tione domini quingentesimo octogesimo secundo Mauricius ab Augusto quinquagesimus
quartus imperium suscipiens uiginti uno annis tenuit. Cuius anno regni decimo
GREGORIUS uir doctrina et actione precipuus, pontificatum Romane et a-
postolice sedis sortitus, rexit annos tredecim, menses sex, dies undecim. Qui diuino
admonitus instinctu anno XIIII eiusdem principis, aduentus uero Anglorum in Brit-
tanniam anno circiter centesimo quinquagesimo, misit seruum Dei Augustinum et a-
lios plures cum eo monachos timentes Dominum predicare uerbum Dei genti Anglorum. Qui
cum iussis pontificalibus obtemperantes memoratum opus adgredi cepissent, iamque
aliquantulum itineris confecissent, perculsi timore inerti redire domum potius quam
barbaram feram incredulamque gentem, cuius nec linguam quidem nossent, adire cogita-
bant, et hoc esse tutius communi consilio decernebant. Nec mora Augustinum quem eis episcopum
ordinandum sub Anglis disposuerat domum remittunt, qui a beato Gregorio hu-
mili supplicatu obtineret ne tam periculosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinatio-
nem adire deberent. Quibus ille exhortatorias mittens litteras, in opus eos uerbi di-
uino confisos auxilio proficisci suadet. Quarum uidelicet litterarum ista est forma.

GREGORIUS seruus seruorum Dei, seruis Domini nostri. Quia melius fuerat bo-
na non incipere quam ab his que cepta sunt cogitatione retrorsum redire, summo stu-
dio dilectissimi filii oportet ut opus bonum quod auxiliante Domino cepistis impleatis.
Nec labor uos ergo itineris nec maledicorum hominum lingue deterreant, sed omni
instantia omnique fauore que inchoastis Deo auctore peragite, scientes quod la-
borem magnum maior eterne retributionis gloria sequitur. Remeante autem Augu-
stino preposito uestro, quem et abbatem uobis constituimus, in omnibus humiliter obedite,
scientes hoc uestris animabus per omnia profuturum quicquid a uobis fuerit in eius admo-
nitione completum. Omnipotens Deus sua uos gratia protegat, et uestri laboris fructum in eter-
na me patria uidere concedat, quatinus et si uobiscum laborare nequeo, simul
in gaudio retributionis inueniar, quia uos laborare scilicet uolo. Deus uos